This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

posse nos Dei, & aliarū notitiam adipisci, ꝯ q̄. Acad. affirm. modo impedimenta remouentur.

subiecta rerum formæq; quadāmodo perspicimus atq; hæc ab ipsis naturis sensui non subiectis discernere valemus. Imprimis vero rerum naturalium cognitio ad salutarem iucundamq; nos deducit rerum diuinarum contemplationem apprehensionemq;, vt ij quidē qui sapientiæ studijs imbuti sunt, quadam de deo demonstratiuè scire possint, quæ alij sola tantum fide cognoscunt atq; credunt, idq; multis de causis. Sunt nanq; res illæ diuinæ admodum abstrusæ, remotæq; à sensibus, & nostræ mentis acies non statim à partu effulget, sed longi temporis vtens progressu intellectū aliquem acquirit solidiorem. Praterea non pauca sunt, quin potius plurima, quorum cognitio requiritur, priusquam rerum diuinarum demonstrationem quispiam animo possit concipere, nec illa licet exiguo temporis spacio assequi. Adde, quod multi vitio defectuq; aliquo naturæ laborant, corpusq; obtinent vel debile vel deprauatū, cui diuinus incluſus animus suas vires nequit exerere, contemplandoq; ad scientiam aliquam altiorem peruenire. Omitto iam, quod constat maximam hominum partem occupari comparandis rebus vitæ necessarijs, ideoq; ab omni abstrahi rerum diuinarum contemplatione. Quæ sanè impedimēta si remoueantur ab animis hominum, tum certè abstrusam abditamq; rerum naturā contemplando ad aliquam rerum diuinarum cognitionem perueniēt, & ex visibilibus, vt sacra loquitur scriptura, inuisibilem dei gratiam potentiamq; tanquam sensibus subiectam agnoscēt. An non enim, vt aliquo idipsum declarem exemplo, mundum aliquando capisse, nec ab æterno extitisse præter sacratissimam fidei nostræ authoritatem etiam rationes humanæ cōuincunt? Certè quidem si quis mundum facit æternum, is vel deum esse, vel deo æqualem constituit, id quod prorsus esse absurdum, & à nemine sano concedendum nemo non videt. Idem quoq;, qui factum negat mundum, negabit interiturum, nec hominem fatebitur bene appellari microcosmū, qui nimirum instar mundi non semper fuerit, nec perpetuò

mēm capisse vō aliquis.

durare soleat. Quid? quod ab illo, qui aeternum facit mundum, interrogabimus, cur nam per tot tamq; innumerabilium seriem cursumq; seculorum non fuerit is cultus, quo iam vtimur, cur non literarum vsus, quo solo memoria fulcitur aeternitas? cur quadam nunc innotescunt, quae sit consentaneum, si mundus esset aeternus, retro tot infinitis saeculis, in vsum notitiamq; peruenire debuisse. Praeterea, quũ constet diuina prouidentia mundum gubernari eâdemq; & fieri quae fiunt & destrui quae destruuntur, certè non erit à ratione alienum, credere, eundem deum etiam hoc vniuersum fabricatum esse, ideoq; mundũ ab aterno non extitisse. Et ipse tandem mundus, vt inquit Augustinus, de seipso testatur, quod factus sit. Ordinatissima nanq; sua mutabilitate & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus factum se esse demonstrat, & non nisi à deo ineffabiliter ac inuisibiliter magno & inuisibiliter pulchro fieri potuisse proclamat. Eum igitur, qui mundum factum negat, oportebit fateri, deum aut esse rerum opificẽ aut nihil posse facere, quod sit summè excellens atq; eximium, id quod nemo qui mente consistat concedit, quin potius omnes naturali quodã instinctu deum omnipotentem asserunt. Iam si etiam hoc concedunt, ipsum summum & maximum esse artificem, oportebit certè deinceps fateri ab eodem maximũ pulcherrimumq; opus, quod animo cogitari aut vsquam inueniri possit, factũ esse, & quodnám tandẽ erit illud opus? annón mũdus? Quod si autẽ Peripatetico illi, mundũ asserenti aternum, hac magis esse siue dialectica siue probabilia viderentur, quàm apodictica, siue scientifica, age cũ illo argumentis à natura desumptis vlterius conferremus. Ac primum quidem illud constat, non posse fieri vt sit aliquid aternum, quod è principijs constatum est corruptioni obnoxijs, qualem esse scimus mundum, cuius partes assiduè mutantur, dum quadam fiunt, quadam intereunt. Nec refert quòd quidam partem mundi nobilissimam, cœlum nimirum, immortale faciunt, nulliq; dissolutioni subiectum

ϑ Arist. de mũdo ad.

Digitized by Google

iectum. Eodem nanq; modo etiam hominem quispiam appellabit immortalem, ob partem ipsius præcipuam, quam animum vocamus, omnisq; corruptionis expertē constituimus. Omitto iam, quod multis, ijsq; indubitatis rationibus probari possit, nō esse cœlum corruptionis expers, ipsumq; etiam tandem uergere ad interitum. Quod si quis fluuij instar mundū credit subinde fluere, partemq; huius quæ effluxit, à fonte quasi quodam perenni, semper restitui, is sanè nouum semper mundum constituit, & quem factum fuisse nolebat fateri, eundē iam infinities fieri cōcedit. Vt enim in eodem quidē alueo semper decurrit fluuius, sed aliam subinde aquam haurit, ita nō eundem esse hodiernum mundum, qui fuisset heri, sed nouum subinde succedere, necessariò sequeretur. Aliam quoq; incurret ille absurditatem, qui mundum facit æternum. Animam plerisq; sanæ mentis inter Peripateticos fatentur esse immortalem, & item hoc, numero infinita dari non posse reipsa siue actu. Mundo igitur constituto æterno, annón animæ constituentur actu infinitæ? Siquidem anni iam præterierint infiniti, hominesq; numero infiniti mortui, quorum omnium numero carentium sunt animæ actu superstites? At hic quidam huius absurdi vitandi gratia furiosa quadam impudentia, numero vnicam esse animam rationalem in omnibus hominibus finxêre. Hoc vero figmentum annón omnem prouidentiam atq; iustitiam dei tollit atq; extinguit? Hac nanq; ratione homines numero nō different, quorum nimirū vnica esset forma, nec ulla supereſſent præmia rectè factorū, nulla pœna male factorum, idemque esset Socrates quod Plato, nec melior bonus quàm sceleratus, sapiens quam stultus, & sic deinceps. Id quod cum sit absurdum, illud item quo affirmabatur, vnicam esse omnium hominum animam, absurdum esse necesse erit. Sed desino iam plures cumulare probationes, quibus mundus nō esse æternus demonstretur. Addā potius adhuc vnū, idq; breue exemplum, quo magis faciam planum rerum naturalium cognitionem esse præuiam veri-

2

q. unitatem intell.

Digitized by Google

minis, per quam nimirum homo deducitur ad contemplationem sui creatoris. Hunc mundum itaq; à deo regi, quæ probet rationes, breuiter exponam. Ac primum quidem, quis nõ videt diuersa atq; contraria per se coniungi atq; ad unã aliquam formã reduci non posse, nisi alterius cuiuspiã opera auxilioq; intercedente cõnectantur? Iam vero mundum hunc ex tam diuersis contrariisq; videmus constare partibus, in quo nimirum frigida iunguntur calidis, humentia siccis, aliaq; ex diuersis conflata naturis in vnam formam conueniunt. Vnum itaq; esse aliquem fateri oportet, qui tam diuersa copulauit, vniuit, atq; coniunxit. An quis aspiciat tabulam diuersis pictam coloribus, variisq; partibus constantem, & certum aliquem magistrum extare dubitet, qui tam scitè illam finxerit? An quis intueatur pocula varijs celata atque aspera signis, nec protinus exclamet, diuini opus Alcimedontis? Illud vero constat inter omnes, diuersa contrariaq; suo quodam impetu dissolui atq; disiungi ab inuicem, nisi sit aliquis à quo conseruentur. Idemitaque etiam mundo contingeret, quem in vnam formam ex diuersis partibus compactum naturarum ipsa diuersitas inuicem discors dissociaret procul dubio atque diuelleret, nisi esset vnus, qui quod nexuit cõtineret. An vero aliquid carens gubernaculis certo atque regulari semper ordine moueri posset suapte sponte? id quod fieri cernimus in mundo, cuius ordo tam certus procedit, vt eadem sint perpetuò vicissitudines dierum, atq; noctium, commutationesq; temporum quadripertita ad maturitatem frugum & ad temperationem corporum apta. Quid de sole dicam lunaq; & cæteris stellis? quorum tam certi sunt motus, vt sol quidem orbem in XII. partes distributum semel quotannis perambulet tum recedens à nobis, tum accedens ad nos: luna vero accretione & diminutione luminis mirabili quasi fastorum notet & significet dies, ad eundem recurrens locum menstruo spacio, tum in eodem orbe quinq; stellæ tam certò feruntur, vt eosdem cursus constantissimos seruent

Digitized by Google

uent disparibus inter se motibus. Qua quidem & alia innumerabilia cum cernimus tam certum ordinem obseruare, tamq; dispositos motus locis, temporibus, efficiētia, spacijs, qua litatibus retinere, possumúsne dubitare, quin sit vnus, qui has mutationum varietates manens ipse moderetur & disponat? His igitur & alijs quae hoc loco non possunt omnia enumerari, humanis hoc est physicis argumentis quispiam mundum prouidētia dei gubernari probare posset, vnde satis perspicuum esse arbitror, sapientia studia, quae philosophiam vocamus, ad pietatem, rerumq; diuinarum cognitionem multum conferre, ideoq; ab homine Christiano excolenda esse meritò atque amplectenda. Neque tamē philosophiam tanquam ducem sequemur, quin potius illa tāquam ministra vtemur, atque tum demum nos rectè philosophatos arbitrabimur, quando id philosophiae ope ministerioq; tutabimur, quod sacris non repugnat literis, quae sunt veritatis amusses. Ex quo sanè sequitur, genus philosophiae Platonicum viro Christiano imprimis esse persequendum, quod nimirum inter alia ad pietatem maximè nos deducit, ad eamq; quam ex sacris scripturis hausimus veritatem quàm proximè accedit. Annon enim Christiana religioni consentanea est illa Platonicorum de idaeis disputatio? qua maximè huc pertinet, vt ostendat deum esse huius mundi conditorem, certiq; ordinis, qui in ipso conspicitur, authorem? Omitto iam illud, quod multi ferè eadem, quae de filio dei & verbo & constructione vniuersi à Christianis dicuntur, etiam Platonicos dicere arbitrantur. An non gratam de deo famam spargunt in disputatione de natura, quam dei esse voluntatem contendunt? in disputatione de cœlo, quod per se esse mortale aiunt, sed propter praesentiam animae motricis immortale reddi? in disputatione de ente vniuoco, non aequiuoco? imprimis autem, quando animos esse immortales atq; diuinos tam crebrò tamq; copiosè inculcant? id quod maximum est nostrae fidei fundamentū. Qua quidem omnia illi à Platone praeceptore ac magistro nō

Idea Christ.

ἡ φύσις τοῦ θεοῦ βουλή.

Digitized by Google

arripuerunt, sed hauserunt, quod non doceat Plato sed instituat, non instituat sed imbuat. Quapropter hunc diuinum, hunc sapientissimum, hunc sanctissimum, hunc Homerũ philosophorum appellant, quos secutus etiam Cicero non eloquentiæ solum, sed sapientiæ quoque parens, eundem tanti fecit, vt se sola huius authoritate frangi dicat, quamuis nullam Plato afferret rationem. Caterùm hic non possum non mirabiles artium & philosophiæ periodos commemorare. Neque enim etiam artes ipsæ eodem semper in honore habentur, sed aliâs maiis vigent, aliâs minus, & nunc illud nunc aliud floret philosophiæ genus. Nostro igitur seculo genus philosophandi Platonicum ferè exoleuit, in scholis vero omnibus Aristotelica traduntur, vnde accidit vt præceptores & recta institutio ad Platonis philosophiam dèsiderentur hodie, quibus tamẽ omnino opus est volenti rectè ad istud philosophandi genus et cum fructu accedere. Sunt enim Platonica plerag; tam obscura, præsertimq; illa quæ numeris & figuris sunt inuoluta, vt prouerbio locũ dederint, quo aliquid dicitur, Numeris Platonicis esse obscurius. AEtate vero Ciceronis cõtra accidit, quæ nimirũ pauci fuerunt, quibus philosophia peripatetica esset cognita. Omnes itaque scolæ tum Platonem legebant, discebant, conuertebant, neglecto interim spretoque Aristotele, vel saltem secundas post Platonem partes obtinente. Sed hæc hactenus. Ad te venio Princeps Reuerendissime, cui rationem instituti mei breuiter exponam. Cum ego commemoratas ob causas Platonis scripta & amem & admirari soleam, non potui prætermittere, quin libellum de comparatione Platonis & Aristotelis Græcè conscriptum à Georgio Gemisto in Latinam transferrem linguam, quo & mihi redderem familiarem, simulq; alijs quibus lingua Græca minus esset cognita, hac translatione prodessem. Neq; me operam perdidisse opinor, quod huius authoris opusculum in manus sumpserim, neq; alios, qui idem sunt lecturi, tempus inaniter contrituros existimo. Fuit enim Gemistus hic, vir in omni scientiarũ genere

genere eminentissimus, cognomenq; Plethonis accepit, quasi Platonis, eo quod Platoni philosophorum principi proximè accederet. Hanc igitur translationem T. R. patrocinio offerre volui, quod nimirum tum alias, tum præsertim nuper datis ad T. R. literis cognouissem T. R. tanto philosophiæ, præsertimq; Christianæ, qualis est Platonica, amore teneri, tantisq; studiosos illius beneficijs prosequi, vt verè Mecænas eiusdem appellari possit. Præterea quod audiuissem T. R. locupletissimam omnium omnis linguæ ac disciplinæ scriptorum bibliothecam, in suo collegio instruere, vndiq; conquisitis magna pecunia editis libris. Quamobrem facere non potui quin hoc stipatus munusculo T. R. iterum accederem, nec dubito quin hoc quoq; scriptum philosophi atq; mathematici præstantissimi T. R. eo sit cõplexura animo, quo Musas & optimos quosque scriptores amplecti solet, suaq; bibliotheca ornamentum iudicare. Quod sane exiguum munusculum si T. R. eo quo non dubito animo susceperit, ipsumque suo fauore complectetur, dabo certè manibus pedibusq; operam, vt maiora dignioraq; T. R. auspicio beneficioq;, ad manus T. R. perueniãt, bibliothecaq; tuæ inserantur. Quod superest, deum precor, vt T. R. diu seruet saluam atq; incolumem, quò possit literarum studia promouere ad nominis diuini gloriam aliorumq; hominum salutem. Basileæ, die Laurentij, Anno 1574.

T. R.

addictiss.

Georgius Chariander B.

Digitized by Google

GEORGII GEMI

STI, PLETHONIS ALIAS, DE

Platonicæ & Aristotelicæ philosophiæ differentia, libellus in latinam linguam conuersus.

IAm Græci quàm Romani veteres, qui nostrum seculum anteceſſerunt, Platonem Aristotele multò præstantiorem fecerunt: nostri verò temporis homines & præcipuè maior pars eorum, qui ad occidentē habitant, reliquis sapientiores existimati, Aristotelem magis quàm Platonē admirantur, persuasi ab Auerroe quodam Arabe, qui maximam Aristoteli laudem tribuit, audetq; affirmare, illum suis libris sapientiam naturæ perfectissimē complexum esse. Et fuerit sane Aristoteles, vir magnus & incomparabilis, quod ad alia attinet, de quo tamen ipso non tam facile ferre sententiam ausim, at quod ad opinionem ipsius de animo, tam peruersi fuit ingenij, vt ipsum mortalem corruptibilemq; facere nō vereatur. At qui huiusmodi ignorantiæ atq; insaniæ patronus fuerit, illúmne alicuius egregij operis aut negotij iudicem arbitramur fore idoneum? Et non eodem modo insanire eum, quo Aristoteles, qui hanc sententiam tuetur? Non possum enim non veritatem fateri, & non reprehendere eum, qui antiquiores, anteceſſoresq; suos reprehenderit. Verum enimuero ne mihi quidem decorum videretur mutuis cōuicijs calumniatorē afficere, sed quoniam nostro etiam seculo, reperiuntur multi, qui Platoni palmam tradunt, nos quidem illis hoc instituto nostro gratificari, & alios nisi amore cōtentionis labo-

laborauerint, corrigere conabimur, paucis explicando differentiam doctrinæ vtriusq;, Platonicæ nimirum & Aristotelicæ, & ostendendo, alteram ab altera non parum differre, in qua explicatione, non prolixis & contentiosis, sed vt decet, breuissimis vtemur demonstrationibus.

Deum Plato conditor rer. ōm fuit. Arist. cœli motorem.

CAPVT I.

AC primum quidem, Deum, summum illum omnium principem Plato omnis intelligibilis, separatæq; naturæ, & per ipsam hanc naturam vniuersi cœli, conditorem constituit. Aristoteles autem ipsum nullius omnino rei conditorem facit, sed solius huius cœli, quod contemplamur, motorem. Quamuis autem quispiam putauerit sensisse ipsum, quòd Deus sit conditor, cùm tamen nullibi hoc apertè fateatur, malitiosè profectò suam contexuit philosophiam, maximū Dei opus dissimulans, id uero quod longè minus est, duntaxat celebrans. Sed fortasse dicet aliquis, quòd Deum finem & finalem causam faciat: verum ne hoc quidem videtur omnino syncerè dixisse, neq; ita, vt Deo dignū fuisset, quandoquidem ipsum non naturę singulorum, sed motionis solius finem constituit. Iam vero si Deum neq; putauit conditorē esse huius vniuersitatis, ideoq; nec dixerit vllibi, hac sane ratione rursus adhuc deterior fuerit, vt qui nec dixerit, nec crediderit optimam philosophiæ sententiam, nec tantum philosophiæ, sed etiam omnium sapientiorū hominum. Cæterùm nos demōstrabimus, ipsum etiā nō credidisse. Primùm quidem, quod credibile non est eum, qui huius sententiæ fuerit, tam arduum pulchrumq; dogma dissimulaturū fuisse, in omnibus omnino libris, quos scripsit, in quibus adeò prolixè & curiosè de fœtibus & ostreis, alisq;

si credidisset D. creatorem esse rerum, id non dissimulasset in suis lib. in quib. alia qui multa minoris momenti diligentiss. doc.

Digitized by Google

rerum naturalium cauſis diſputat. Deinde, quod numerum etiam cauſæ generationis deſcribit, nec tempus vllum nominat, ſed cauſam tantùm: imò eos reprehendit, qui ab eo diſſentiunt, & abſurdum, inquit, eſt, ac potius eorum vnum, quæ fieri nullo modo poſſunt, rerum ſempiternarum ortum aliquem facere. Quo loco ſe manifeſtè prodit Ariſtoteles, ſicut etiam fortaſſe alij, quod ſenſerit poſita cauſa generationis, neceſſario etiam ſequi tempus eiuſdem. Id quod Plato non fecit, qui in Phœdro quidem animam ponit ingenitã, quod ad tempus videlicet attinet, in Timæo autem genitam, quod ad cauſam. Hinc itaq; apparet, quod non ſenſerit, neceſſariò ſtatim ſequi, vt ſi generationis cauſa adſit mox eadem incipiat. Verum enimuero quis dubitat Ariſtotelem nullam poſuiſſe huius vniuerſi generationem, quandoquidem ſenſit, ipſum eſſe ſempiternũ? Quod ſi autem generationem negauit, proculdubio etiam opificem ſiue conditorem excluſit.

Deum orbem vnum mouere: ceteros à mentibus diſtributos. Deus orbem vnum mouet.

PRæterea etiã illud de Deo Ariſtoteles abſurdè, contraq; omnem rationem docuit. Cum enim orbes cæteros à mentibus quibuſdam & eſſentijs ſeparatis gubernari moueriq; cenſuiſſet, ſingulos diſtribuendo ſingulis, vnum quoq; ſummo illi rerum principi Deo orbem aſſignat, quem ab illo moueri exiſtimat, tradens ipſi hac ratione partem quandam laboris, quem aliæ quoq; mentes poſt ipſum ſuſtineant. Hoc verò quàm ſit abſurdum, inde aliquis animaduertat. Oportet ea quæ diſtribuuntur cum ijs quibus ſunt diſtributa, quandam habere proportionem, ſi nimirum diſtributio illa iuſta debeat iudicari, quemadmodum ipſe etiam Ariſtoteles in libro ſuo de iuſtitia admonet. Atqui

orbes eius d. sbæ ōes: q̃ es motores: æquales inuicem.

qui apud ipsum omnes cœli orbes eandem inuicem obtinent substantiam. Omnes enim sunt corpora quædam nulli subiecta corruptioni, ex sententia Aristotelis: ñdemq̃; sempiterni tam ipsi quàm motus ipsorum. Hinc itaq; necessariò sequetur, etiam mentes illas separatas, inter quas orbes illi sunt distributi, eandem omnes inter sese obtinere substantiam, nullamq̃; ex illis sibi inuicem non esse æqualem: sed tantò duntaxat excellentiorem illam, quæ est senior, quantò assignatus ipsi orbis, reliquos orbes superat. Hæc autem quod nō sit præstantia Deo summo rerum conditore digna, nemini nō est notum, si quidem & Auicennas, licet Arabs, & à vera religione alienus, absurditatem tamen huius opinionis animaduertit, & astrorum quidem atq; orbium cœlestium motum atq; gubernationē etiam ipse secutus quodammodo Aristotelem, separatis quibusdam mentibus attribuit, Deo autem supremo rerum præsidi neq; astrū aliquod seorsum neq; orbem vllum assignauit: sed vnum è numero omnium eximens, supremam illi cunctarum rerum attribuit excellentiam. Sed de his ista sufficienter dicta sunt.

Auic. eximit D. ab mot. Arist. motoris nō tota.

Cap. III. In entis æquiuocōe error Arist.

TRanseo autem ad illam entis æquiuocationem, quam Aristoteles vt magnū quiddam existimatur inuenisse, & quæ ante ipsum nulli philosophorum in mentem venerit. Atqui si propterea quod hæc quidem magis, illa verò minus de ente participant, idcirco entia inter se æquiuoca esse existimat, non vtique rectè ratiocinatur. (Neque enim si albedo in lana sit minor albedine, quæ est in niue, idcirco albedo in lana ei quæ est in niue erit æquiuoca) neque si propterea, quod entium alia sunt priora, alia verò posteriora,

albēdines in diuersis subiis nō sūt æquiuocæ.

Digitized by Google

& hæc quidem ſecum trahunt altera, illa verò non trahunt. Accipiamus enim exempli gratia, numeros, inter quos etſi alij quidem ſunt priores, alij autem poſteriores, non tamen ſunt æquiuoci inuicem: ſed ſecundum eandem rationem omnes ſunt numeri: ita elementa quoq;, quæ ſunt corpora antiquiſſima, ex quibus nimirum alia omnia conſtant corpora, priora ſuis ſunt compoſitis, attamen tum ipſa, tum ea quę ex ipſis conſtant, pari ratione ſunt & dicuntur ſubſtantiæ, non ſanè æquiuoca prædicatione. Nemo enim ad hoc vſq; tempus aliter ſenſit. Neq; ſanè propterea, ſi aliud quippiam de ente prędicatur, ſicut vnum, ens genus eſſe omnium negabitur, aut æquiuocum quiddam, dicendum erit. De homine nanq; prædicatur, quod ſit riſibile, neq; tamen propterea homo vniuerſi rationem amittit, neq; ſingularium ſiue indiuiduorum, ſi non genus, attamen ſpecies, eaq; nullo modo æquiuoca, non dicetur. Quod ſi in ſpecie hoc contingit, idipſum certè etiam in genere continget. Eandem enim vtrunque habet rationem, vtq; ſpecies ad ea quæ ſub ipſa continentur, refertur, ſic etiam genus: præterquam quod ſpecies illæ quæ ſunt infimæ, de infinitis prædicantur, ſuntq; multò plures: genera verò de finitis & diuiſionem ſuſcipientibus. Age vero etiam in genere aliquo, ſi quis dubitet, idem diſpiciamus, & nunc verbi gratia accipiamus id quod animal dicitur. Si quis igitur animal non per ſenſibile definiuerit, ſed per capax imaginum, diſtinguens ipſum à genere illorum quæ tertiam quandam, non animalium neq; fruticum, habere naturam dicuntur: ac deinde ipſi attribuat quod omni propriū eſt animali, vt videlicet greſſibile appellet (faciet enim non male.) Hoc nanq; pacto animal de greſſibili & greſſibile de animali prædicabitur & nihilominus animal generis rationem habebit, illisq; præficietur, quæ ſub ipſo con-

continentur, nulla interim conceſſa æquiuoca nominis communione. At ſi quis, inquit Ariſtoteles, hoc conuertat,& rationale non dicat animalis eſſe differentiam,ſed rationalitatem,vt ex hoc appareat vſum differentiarum talem eſſe oportere,tum de rationalitate animal, neq; aliud vllum genus de vlla huiuſmodi differentia,prædicari non poterit. Quando igitur idem enti non cõtingit,(neq; enim inuenire licet aliquid,de quo ens non prædicetur) idipſum quoq; nunquam fuerit genus. Primum igitur non eſt neceſſe,vt ſi quid in generibus ſubalternis contingat, idem in ſupremo quoq; contingat. Nihil enim prohibet ineſſe aliquid illi ſupremo peculiare,quod cæteris non inſit generibus. Deinde mendacio non caret,quod dicit. Nam ſi ipſe rationalitatem fingit,vt differentia animalis non ſit rationale, ſed rationalitas, nos viciſſim aduerſus ipſum animalitatem fingemus,deinde iubebimus animalitatis nobis reddi differentiam. Et quam reddet? Neq; enim rationale animalitatis, rationalitatem autem animalis differentiam faciet. Tum quis tandem non indignetur aduerſus ipſum, qui leges ſermonis tam fœdè peruertat? Nempe dubium nemini eſſe debet,quin rationale conſtituat differentiam animalis: rationalitas autem,ſi modo ſit differentia,non alterius erit differentia,quàm animalitatis. Atq; ita prędicabitur omne genus de ſua differentia, quemadmodum etiam lex & ratio loquendi docet. Quàm igitur imbecilles, nulliusq; momenti ſint Ariſtotelis rationes,quibus ęquiuocationem entis conatur introducere, hactenus demonſtrauimus. Iam vero oſtendemus etiam fieri non poſſe,vt ens ſit æquiuocum. Si namq; ab vno,eoq; ſummè vno, omnia exiſtunt,licet ſint plurima & innumerabilia,fieri certè nõ poteſt, quin vnum quippiam & cõmune inuicem poſſideant omnia. Illud vero quid aliud tandem fuerit niſi

ens nõ ẽ æquiuocum ſed unum.

Digitized by Google

ens, & hoc ipsum non æquiuocum? quippe si æquiuocum erit, non amplius vnum fuerit. Affirmat autem quodam in loco etiam ipse Aristoteles, Entia in mala repub. nolle versari, & non esse bonum vt multi regant, sed vnum principem regemq; esse oportere: valde quidem ille piè & sapienter hoc verbis prædicās, at re ipsa malam in entia rempub. ipse maximè introducens, vtpote qui ens in plura dispertiat, idq; vnum non esse patiatur. Talem autem ex his quæ diximus, formabimus diuisionem.

partem unso minorem facit: cum individua prima, sint ea entia: species autem et genera, sint substantiæ secundæ

CAP. VIII.

INcurrit autem eandem ignorantiæ accusationem Aristoteles etiam hanc ob causam, quod simpliciter vniuersum minus facit particulari, dum singulares & individuas essentias, primas & principales appellat, species autem & genera ipsarū secundas substantias, easq; primis inferiores ac minores. Atqui si substantia, vt

ipse

ipſe quoq; Ariſtoteles fatetur, maximè ens appellari meretur, eò quod pars vniuerſo ſit minor, eandem quo que in ſubſtantię ratione minorem inferioremq; oportet ſtatuere. Quamuis ſi de eo loqueretur vniuerſo, prout vniuerſum ſæpenumero ſolet accipi, tum à ratione illud quod dicit non eſſet alienum. Poteſt enim, idq; non rarò, vniuerſum, rationem vniuerſi amittere, cùm non omnem ſed aliquem hominem, neq; omne animal, ſed quoddam intelligimus. Nunc autem non de illo vniuerſo, quod rationem vniuerſi amiſit, videtur ſermonẽ facere, ſed de ſimpliciter accepto vniuerſo, & de ſimpliciter intellecta ratione generum & ſpecierum: tali fortaſſis argumento adductus ad hanc ſententiam. Eſſe enim hominem interdum quodam animali, & quodam homine Socratem præſtantiorem. At vero de vniuerſo rationem vniuerſi retinente, non poteſt *tale* quippiam dici. Nam ſi nulla horum duorum eſt differentia, omnis homo & omnes homines: omnes porrò homines à ſingulis, ijſq; cunctis, hominibus nulla alia re differunt, quàm eo quod illi ſimul, hi vero ſeorſim accipi ſolent: quam tandem habebit rationem, vt indiuidui homines ſint ſubſtantiæ omni homine principaliores, magisq; ſint ac verius, quàm omnis homo, niſi ſanè omnia quę ſeorſim capiuntur ſint principaliora ijs, quæ ſimul & coniunctim? Atq; hoc quidem ex ipſius Ariſtotelis ſententia non fuerit non probabile, propterea quod ille cum eo quod eſt vnum, libenter litiget, multum autem gaudeat diuiſione entis atq; multiplicatione. Verumenimuero nobis hoc placere non poteſt, dum cogitamus etiam à Deo non alicuius hominis gratia vniuerſam hominum naturam, ſed vniuerſæ hominum naturæ gratia ſingulos creatos conditosque homines: ipſamque hominum naturam vniuerſæ ratione prædictæ naturæ gratia extitiſſe,

Digitized by Google

& omnino partem propter totum, non autem totum propter partem factum. Præterea ſcimus ſcientia partis, ſcientiam vniuerſi multò eſſe præſtantiorē, quemadmodum ipſe etiam Ariſtoteles in libris de demonſtratione, velut à ſeipſo deficiens deflectensq́; affirmat. Id quod probari defendiq́; non poſſet, niſi totum ſiue vniuerſum de ente magis participaret quàm pars, ideoq́; ipſum eſſet præſtantius. Sed non conſtat ſibiipſi Ariſtoteles diuerſam nimirum hoc loco & in alijs ſecutus opinionem. Nos quidem haud vnquam eò adducemur, vt ſingularibus vniuerſalia minora dicamus, donec non totū ſua parte maius, ſed partem ſuo toto maiorem videamus.

CAP. V.

HVic autem illud non eſt diſſimile, quod idem Ariſtoteles ait, vniuerſum materiæ, particulare autem formæ habere rationem. Contrarium enim omnino verum fuerit, ſiquidem vniuerſum totum quippiam eſt, id autem quod in parte conſideratur, pars: ſpecies vero ipſa omnino in toto magis, quàm in partibus exiſtit. Et vniuerſum quoq; magis eſt & verius ipſo actu, quàm id quod in parte ſpectatur. Vniuerſum nanq; ſi vniuerſali ratione de ipſis rebus accipiatur & ipſum actu eſt, & ea omnia, quæ in parte ſpectantur, actu continet, coercetq́;: vniuerſum vero ipſum in ſeipſo non vt vniuerſum cōtinet, ſed quoad ex illo ſolummodo aliquid ſibi competit. Atq; vniuerſum quidem, perfectum quiddam eſt: id vero quod in parte conſideratur, imperfectum.

CAP. VI.

NEq; illud ab eodem rectè dicitur, quod ſenſibile ſenſu ipſo poſſit eſſe prius & antiquius: qua opinione id tollitur, quod omnino rectè ſe habet, nullamq; parit dubitationem, ea nimirum quæ ad aliquid dicuntur, & mutuam habent inhærentiam, ſimul eſſe neceſſariò. Si nanq; hoc dicit, tanquam nullo vnquam futuro ſenſu, tum quánam quæſo ratione poterit ſenſibile aliquid eius eſſe diciq;, quod ad eum ſenſum referatur, qui neq; nunc ſit, neq; in poſterum futurus vnquam iudicetur? Sin autem tanquam aliquando futuro ſenſu, tum patet quod futurus expectetur is, qui poſſit eſſe. Itaq; tum ſenſibile ipſum, potentia erit ſenſibile, & ad ſenſum referetur, qui etiam non ſit actu ſed potentia: tum ſenſus quoq;, qui eſt potentia referetur ad ſenſibile non actu ſed potentia exiſtens. Actu autem *alterum* altero prius non eſt, antequam ambo actu exiſtant. Atq; hoc modo nullũ dari poteſt ſenſibile, quod ſenſu prius ſit & antiquius.

CAP. VII.

ALia quoq; ab eodem tollitur notio, quam alioqui omnes & rectè quidem amplectũtur, & ſic habet: quod contradictio nunquam poſſit ſimul vera reperiri. Ille vero è diuerſo contendit indefinitam contradictionem veram ſimul poſſe deprehendi, quod tamen manifeſtè à ratione abhorret. Neq; enim indefinita negatio, vnquam determinatam ad partem, ſed ſemper ad vniuerſum relatam denotare poteſt negationem: quum contraria aſſertio ſemper de parte intelligatur. Atq; communis quidem apud omnes loquendi ratio idem etiam demonſtrat.

CAP. VIII.

EST præterea aliud axioma, quod sic habet: Conclusionem semper imitari eam ex præmissis, quæ Minor appellatur: eam verò quæ partem respicit esse minorem vniuersali, negatiuam item affirmante, præterea necessaria minorem simplicem, & simplici contingentem. Ipse verò Aristoteles ex duabus præmissis, altera necessaria, altera simplici, necessariam ait fieri conclusionem. Atqui si medium illud est, quod primum terminum extremo connectit, non vtiq; aliter ipsum poterit illi cõnectere, quàm ea ratione, qua primus extremo coniunctus est. Quocirca si ille quidem ad alterum necessariam habet rationem, habebit etiam hic ad extremum eandem rationem, ideoq; necessaria duntaxat ex illis educetur conclusio. Sin autem idem medium non necessariò cum alterutro terminorum coniungatur, tum ne primus quidem cum extremo poterit conjungi necessariò. Atq; hæc quidem Aristotelis pronunciata sunt huiusmodi.

CAP. IX.

VENIO iam ad ea, quæ in libris de anima, non recte docuit. Platonici itaq; illud quidem supernaturale vnum, simpliciter vnum faciunt, vsque adeò vt subsistentiam, potentiam, & actum ipsius à se inuicem non discernant. In alijs vero, quæ post & infra ipsum sunt, formis & mentibus, non eodem modo tria illa vnum esse arbitrantur, sed actum quidem à subsistentia, potentiam verò non omnino ab actu discernunt: eò quòd mentes illæ siue formæ cùm sint immobiles, nihil quicquam potentia, sed ea omnia reipsa & actu semper habent præsentia, quæ sibi insunt. At in anima tria hæc, subsistentiam, potentiam & actum om-

nino distinguunt, eò quod ab vna cogitatione ad aliam mouetur: humana vero anima etiam ex intelligente fit non intelligens, aut ex non intelligente intelligens, ideoq; non semper, aut non omnem actu sed potius potentia habet rerum cognitionem. Aristoteles porrò animam facit immobilem, & sanè si intelligit mobilem, quod ad motum localem, tum rectè dicit: si verò simpliciter, quod ad omnem motum (neq; enim hoc ille plane admodum explicat) non amplius rectè. Quomodo enim illa ab vna cogitatione ad aliam videbitur subinde mutari, aut (quod Aristoteles de humana mente concedit) ex non intelligente intelligens, & è contra fieri, si immobilis intelligatur? Sed relinquamus ista, & reuertamur illuc, vnde digressi sumus. Ac Platonici quidem has faciunt diuisiones. Aristoteles autem nulla omnino vtitur distinctione, sed omnem *mentem* sua ipsius subsistentia simpliciter actum esse affirmat. Quomodo vero in humana mente id verum esse defendet, quam ponamus non intelligere neque agere? Neq; enim iam amplius secundum ipsum mens manebit, si actus nimirum & essentia vnum idemque sunt: imò essentiam vnà cum actu amittet, ipsaque morietur: reuiuiscet autem, quando rursus intelligens fiet. Sed iam manifestè apparet, Aristotelē incautè admodum hoc de animo pronunciasse.

CAP.

QVomodo autem illud non male ab eodem dictū & in quo à seipso omnino discrepat? Nempe concedit ille, sicut apparet ex libris ipsius de generatione animalium, nostro hoc corpore esse humanam mentem antiquiorem, postea vero eos insectatur, qui

recordationes quaſdam eſſe, diſciplinas aiunt, & quod diſcere nihil aliud ſit quàm reminiſci. Si namque hoc corpore antiquior eſt animus, quid prohibebat ne cogitaret, ne cerneret, ne cognoſceret, antequā corpus ingrederetur? Quod ſi cogitabat, cernebat, cognoſcebat, quomodo in prima ſua in corpus noſtrum ingreſſione, illorum oblitus, poſtea vero recipiens eadē quæ antea ſciuit, non reminiſci dicatur?

l. Arnob. l. 2. g. reminiſc.

mentem incorruptib. ee d. nec tn in eder eius memini: qd fieri tn sperauit ad futuri gmendiem: qr vero nullum post se hominī bonum attribuit, secum pugnat.

CAP. XI.

REprehenſione non caret etiam illud inter cætera. Quamuis enim ille mentem humanam nulli corruptioni obnoxiam, nec non ſempiternā eſſe affirmaſſet, tum in libris, quos de anima ſcripſit, tū in illis quos vocant metaphyſica, non tamē poſtea in Ethicis vllam immortalitatis animorum videtur facere mentionem, quæ vna res maximum ad virtutis commendationem pondus attuliſſet. Cæterùm hoc ipſo illud longè deterius ęſtimari debet, quod nullum homini iam defuncto attribuit bonum, quo fruatur poſt mortem. Ita nimirū ſeiſpum ſedulò obſeruat Ariſtoteles, ne ſuis dictis contrariam inferat orationem. Si namq; immortale quippiam poſſideat homo, quod poſt obitum remanet, id vnum certè, & maximè & veriſſime ipſummet oportet eſſe hominem. Quomodo igitur ipſi ex hac vita emigranti nullum reſtabit bonum? imò contrarium eueniet, vt nimirum poſt eius, quod in ipſo mortale eſt, depoſitionem, beatius & melius viuendi facultatem adipiſcatur. Quam ob cauſſam etiā Alexander ille Aphrodiſienſis, deducto ad ſuam improbitatem ſermone illo, inde occaſionem ſumpſit, vt diceret, ab ipſo quoq; Ariſtotele animæ humanæ immortalitatem eſſe negatam. **Atq; de his quidem hactenus.**

Digitized by Google

CAP. XII.

Virtutes & vitia mediocritates ēe dic. ita ſimpl. nō ſimpl. definit. ꝑ Plato.

PLacet autem etiam quaſdā ipſius de virtutibus diſputationes paucis attingere, atq; planum facere, quàm etiam in his ſermonibus à veritate alienā ſequatur opinionem. Virtutes ait ille eſſe mediocritates, vitia autem extremitates: vbi nimirum mediocritates intelligit paſſionum, quæ ſunt in animo, & cōtrà in vitijs earundem extremitates. De quo autem mediocritatis genere interim loquatur (Eſt enim multiplex mediocritas) vtrum videlicet de ea quæ in qualitate, vel ea quæ in quantitate cōſiſtit, ille non ſatis apertè explicat: nihil quod ex paucis quibuſdam ipſius verbis, quæ alio in loco fecit, idipſum poſſit animaduerti, vbi nimirum vitio vertit, ſi quis fulmina & terræmotus nō metuat. Ex quo apparet illum non timenda & timenda non qualitate metiri atque diſtinguere, ſed magno & paruo, quod eſt, quantitate. At Platonici non ita, nec alij quidem qui rē accuratius examināt, ſed omnem quidē turpitudinem eſſe timendam, ſiue magnam ſiue paruam, quicquid verò turpe non ſit, non timendum exiſtimant, atque ita qualitate, non quantitate timenda & nō timenda metiuntur. Proinde nō eſſe dignos metu terræmotus & fulmina, ſi quidem hæc vitio careant, nec peiorem faciant hominem. Et quomodo tandem ſtultitiæ non tribuatur, ſi quem terreant fulmina, id & non ob hanc duntaxat cauſſam, quod turpe non ſit feriri fulmine, atq; hoc modo mortalem vitam commutare (neque enim hoc ipſum etiam in noſtra ſitum eſt poteſtate, vt ſic nobis vel laudi vel vitio tribui poſſit) ſed etiā quòd hæc ipſa res primum quidem ex illarum rerum ſit numero, quæ rariſſimè contingunt: quæ autem eiuſmodi ſunt, extremæ eſt ſtultitiæ illa expectare & metu illorum terreri, deinde quod aliquis formidans, non magis liberatus

d

quàm is qui non formidat. Atque ingruentem quidem qui metuit tempestatem vel hyemem, is seipsum aduersus illa quadam ratione munire potest, & qui bestiam aliquam pertimescit, tuendi fortasse seipsum facultatem habet. At quem fulmen terret, is omnino timore afficitur, quo prorsus affici nō deberet. Præterea illud quoq; silentio præterire non possum. Cùm bonum & sapientem virum contrarijs agitari animi affectibus nihil prohibeat, dum fidit modo, modo metuit, dum cupit modo & rursus cōtemnit, turpi tamen re & non turpi, item bona & non bona, illa omnia metientem, ex hoc sequetur, etiam eum qui hæc omnia contraria facit, quiq; sit vitiosissimus, nihilominus in mediocritate quadam etiam ipsum consistere. Aristotele interim omne vitium in solis extremis collocante, & is quidem, qui omnia cōcupiscit tam ea quæ oportet, quàm illa quæ non oportet, nunquam idcirco quòd ea concupiscit quæ oportet, vitiosus fuerit, neq; is qui omnia cōtemnit, ea nimirum quæ & quando oportet contemnere. Atq; ita horum quidem vterq; semiuitiosus quodāmodo fuerit. At ille omni ex parte vitiosus siue vitiosissimus, bonoq; ac sapienti maximè contrarius appellandus erit, qui illa quidem, quæ oportet concupiscere, contemnat, quæ vero oportet contemni concupiscat: vt hac ratione eū qui vtrisq;, ijsq; contrarijs affectibus sed male vtitur, vtrunq; esse dici sit necesse, & ipsum nimirum in mediocritate quadam sua consistere, & simul bono ac sapienti viro maximè contrarium. Atq; de his quidē hactenus.

non Virtutem: sed voluptem contempl. Sum. bonum constituit falsō.

CAP. XIII.

IN sua vero de fine vltimo disputatione, quomodo reprehensionem non incurrit, vbi non eximium illud ac verè pulchrū, quod à virtute proficiscitur, sicut omnes sapientiores, sed voluptatem summum constituit bonum,

Digitized by Google

bonum,illam vero intelligens cõtemplatiuam? Atqui si voluptas, ea ratione,qua est cõtemplatiua,summum sit bonum,quandoquidem voluptas bonum est quatenus est contemplatiua, certè contemplatio per se simpliciterq; fuerit summum bonum, siue voluptas illam sequatur,siue non. Sin autem contemplatio sit bonum, quatenus suauitatem siue voluptatem quãdam habet adiunctam, tum voluptas rursus simpliciter summum erit bonũ,siue contemplando, siue aliud agendo ipsam consequamur. Vtraque autem ratione contemplatiuã voluptatem & quatenus est cõtemplatiua, & quatenus est voluptas, esse bonum neutiquam fieri potest, nisi intercedat aliud quoddã vnum,quod huic vtriq; cõmuniter adhæreat. Illud nanq; summũ bonum simplex atq; vnum esse oportet, & quod desuper ad nos,ab illoque summè vno atq; bono quod omnem superat naturam, peruenerit,tum cuius beneficio omnia reliqua,quæ nimirum illud participant, bona dici merentur. Nos igitur ipsum honestum siue pulchrum, illud esse dicimus, cuius etiam dum contemplatio fit particeps & bonum & voluptas & quidquid aliud efficitur. At videtur Aristoteles eam ob causam uoluptati coniunxisse contemplationem,vt voluptatem nimirũ nobis propriam, nostrum esse bonum ostenderet, quemadmodum etiam contemplationem opus esse maximè nostrum. Oportet nanq; summum illud bonum,non solum esse bonũ, sed nobis quoq; accommodaris,& ad nos referri,si tale debeat iudicari,quod sit votis dignum præ cæteris omnibus,& maximè à nobis eligendũ. Qua in re profecto ille non admodum diuersam ab Epicuro tuetur sententiam,qui etiam quodam in loco voluptatem summum facit bonum, eamq; intelligit, quæ in animo consistit. Nempe apparet ipsum Aristotelem etiã Epicuro vberrimam præbuisse occasionẽ, vt suam de voluptate sen-

tentiam audacter in medium afferret, tuendamq; ſuſciperet. Nos itaq; breui quadam ratione oſtendemus voluptatem illam Ariſtotelicam non eſſe ſummum bonum. Quippe nos ipſos tum maximè ſentimus illam ex contemplando capere voluptatem, quando aliquid ex obliuione in memoriam reuocatum contemplamur. Quæ autem iam longo tempore animis concepimus, complexiq; ſumus, ex illis non eodem modo capimus voluptatem. Quod ſi iam voluptas ſummum ſit bonũ, illudq; quod ſuauius eſt & iucundius, melius ſit & magis expetendum altero, quod minus habet ſuauitatis et iucunditatis, neceſſe erit etiam illam rerum ex obliuione in recordationem reuocatarum contemplationem & meliorem eſſe & magis expetẽdam altera illa, in qua quis perpetuò ſciens perſtiterit ac perſeuerarit. Iam igitur omnibus ſanæ mentis hominibus dijudicandum relinquimus, vtrum illud magis quàm hoc ſit amplectendum, & quódnam ex duobus illis ſit præferẽdum. Atq; de his quidem hactenus, quæ videlicet ad diſputationẽ Ariſtotelis de moribus pertinẽt, vbi ſanè etſi plura ſint, quę reprehenſionem mereantur, iſta tamen modo ſufficiant. Neque enim noſtri eſt inſtituti omnia cõmemorare, in quibus Ariſtoteles errauit, ſed principalia duntaxat & maxima, præſertimq; illa, in quibus non exiguo ſed longo interuallo Platonem relinquit, ab eoq; multum diſſentit.

CAP. XIIII.

Dicamus iam aliquid etiam de cœlo & quinta corpore, quod Ariſtoteles primus effinxit. Quatuor eſſe in hoc conſpicuo ſiue cœlo ſiue mundo prima & antiquiſſima corpora, tam ſuperiores omnes philoſophi, quàm Platonici vno ore affirmãt, ignẽ, aerem, aquã, terram. Atq; ex his quidem ignem & terram ſibi inuicẽ eſſe

eſſe maximè cõtraria, eò quod ignis eſt leuior, propter raritatem, & ſummum obtinet locum, terra autem grauiſſima propter denſitatem, ob quam omnibus aliis eſt ſubiecta elementis: aerem uero & aquam in medio amborum, propter & raritatem & denſitatem, mediam ad vtrunq; habere rationem. Eodem autem etiam modo, quod ad motum attinet, latione & quiete inuicem diſtingui, ac ignem quidem rurſus & terram ſibi inuicem maximè eſſe contraria, aerem verò & aquam, medio ad vtrunq; loco ſe habere. Si itaq; terra ſit immobilis, ignẽ neceſſe erit perpetuò moueri: & prẽterea, ſi terra quidẽ ſit immobilis, tum aqua mouebitur quidem, ſed minus quàm aer, qui tãtò magis mouebitur quàm aqua, quantò ille quod ad motum, à ſupremo ſuperatur igne, quẽ idcirco in perpetuo eſſe motu fatendum erit. Quod ſi perpetuò mouetur, circularem vtiq; habebit motum. *Id nanq;* quod rectà mouetur, nõ poteſt mobilem poſſidere naturã. Quieſcit enim tandem aliquando, quod rectum habet motum. Aether itaq; & omne ſupremũ corpus, ipſumq; quod ita proprie nominatur cœlũ, talem habebit naturam, quam nuper diximus. Iam videamus, quib. Ariſtoteles nixus rationibus cõtra nos nouũ illud quintum corpus effinxerit. Videmus, ait, ignem rectum habere motum, cœlum autem circularem. Quapropter ignis diuerſam à cœlo obtinebit naturam. At, reſpondeo, videmus etiã terram quandoq; moueri, & recto quidem motu, idipſum aũt tum cõtingere, quando in alieno conſiſtit loco. Quamprimum itaq; eò peruenit, quò pertinet, tum quieſcit, nec amplius mouet, tanquã ad hoc ipſum illius magis ſit comparata natura. Quid igitur mirũ, ſi ignem etiam, quando in alieno fuerit loco, recta ferri quandoq; videamus, eodẽ nimirum motu, qui ſit omnibus his corporibus cõmunis, quę ſi alieno conſiſtant loco, recta ferantur, quò poſſit

perpetuus motus circularis ſit opꝰ.

ignis, ut alia cũ ſuũ locum, recto motu fer.

Digitized by Google

videlicet ille quoque quàm citissime ad suum peruenire locum, quem ipsi natura destinauit, & postquam in illo iam versatur, in orbem moueri, tanquam ad hoc ipsum comparatus magis? Cur itaque quintum illud corpus effinxit, cuius si quæpiam forte particula in alieno consistat loco, quem motum habebit? num ibidem etiam in orbem vertetur? an vero rectà ascendens ad proprium tendet locum? Sed ista, inquit, omnia quatuor corpora cùm sint secundum partes dissolutioni obnoxia, neq; vllum ex ipsis omnino à corruptione sit immune, necesse erit quoddam etiam existere corpus, quod sit corruptionis prorsus expers, idq; ipsum erit cœlum. Hoc verò Platonici iam non amplius concedunt Aristoteli. Negant enim per se, suaq; vi ac natura immortale esse vllum corpus, nempe quod videant non posse fieri, vt id sit immortale, quod est diuiduum, certisq; constat partibus, suaque natura potest dissolui, quale est corpus omne. Quæ vero corpora ipsi arbitrantur esse immortalia, illa non ex sua natura esse talia sentiunt, sed propter animæ præsentiam reddi immortalia contendunt. Atque illi quidem, qui stant à partibus Platonis, in ea sunt sententia. Rectius autem fecisset etiam Aristoteles, qui ipse quoque eiusmodi corpora constituit esse animata, si animæ hanc præstantiam assignasset, & non corpori, nec ipsum per se suaq; vi immortale nouo quodam modo finxisset.

CAP.

CAP. XV.

RIsum quoque nobis facit Aristoteles, quod astra quidem cõcedit esse animata: id quod alicubi affirmat, dicens se eodem loco astra, quo animalia habere: eadem verò postea per se esse immobilia existimat, & motis duntaxat orbibus, quibus sunt infixa, moueri. Quo posito, quæso, qualémnam animam inesse ipsis existimabit, si nimirum omni tempore maneant immobilia? num eam fortassis, qualem ostreis & conchis attribuere solemus?

CAP. XVI.

IAm vero etiam solem non naturæ caliditate, sed motu calorem terris impertire affirmat, lunam vero negat similiter motu calefacere. Quàm vero hoc absurdum est? Etiamsi enim lunæ motus sit tardior motu solis, ipsa tamen sidus est nouissimũ, terrisq; familiarissimum. Solent vero ea corpora, quæ virtutem habent aliquam ad agendum, proximè magis illam exerere, vt ita oportuerit etiam istam motus tarditatem minori distantia compensari, lunamq; similiter atque solem calefacere, si nimirum res ita haberet, vt motus potius quàm caliditas astrorum calorem efficeret. Sed iam demonstratum, quod temerè & inconsultò præter aliorum opinionem, quintam naturam cœlo attribuerit.

CAP. XVII.

NEq; illud silentio præterire possum, quod idem Aristoteles in naturali auscultatione omnino male docet, vbi, Absurdum est, inquit, non existimare id quod fit, fieri propter aliquid, nisi videas id quod mouet siue efficientem causam, cœpisse consilium. Est enim, ait, perspicuum, quod ars quoque mouens ea, quæ fiunt ex ipsa, non capiat consilium. Etenim si esset in ligno ars, exempli gratia fabricandi naues, quomodo est in ijs, quæ natura fiunt, ars faceret similiter atque natura, nec caperet consilium. Ad quæ nos breuiter respondemus, interrogando, quánam ratione ars posthac appellari possit, ea, quæ non consulit nec deliberat de operibus? An aliquid aliud artem magis constituit, quàm capere consilium? quod sanè si quis ab arte exceperit, nullo modo artis appellationem retinebit. Quomodo autem etiam ad aliquem finem tendet, eumq; assequetur, vel ars, vel natura si nulla adsit mens, quæ prius capiat consilium, & finem illum in seipso conceperit? præterea si ars, teste etiam Aristotele, imitatur naturam, profecto ipsam non oportebit ab arte superari, sed id quod maxime artem constituit, naturæ multò prius & excellentius inesse oportet. Quod si aliquid etiam in arte apparet, quod non deliberat, vt est instrumentum, aut minister, ibi sciendum, non in illis artem, sed in architecto sitam esse. Ita quoque si quidquam in natura rationis expers conspiciamus, non vtique in illo naturam, quæ opus efficit, collocamus. Est enim natura, Dei lex & institutum. Atqui Dei lex & institutum ratione non caret. Verum enim verò mihi videtur, Aristotelem in libris suis tum alios antiquiores, tum maximè Anaxagoram imitatum esse. Ille nanq; mentem quidem initio orationis suæ huic vniuerso præfecit, in progressu vero

vero eiusdem, nullam prorsus illius facit mentionem, sed ad pietatem potius, qua Deus omnino negatur, deflectit. Eodem modo etiam Aristoteles deos quidem aliquos facit huius cœli præsides, maxima autem parte suorum operum prorsus nullam videtur diuinitatis memoriam retinuisse, sed ad illam potius Anaxagoræ impietatem quoad eius fieri potest, declinasse. Id quod de Platone dici non potest, ipsum fecisse, vel in alijs disputationibus, vel in hac ipsa, quam nunc oratione tractamus. Ille nanq; duas facit artes, vnam quidem diuinam, alteram vero humanam appellans, quarū vtraq; mente consilioq; vtatur: ac humanæ quidem omne factitium opus: diuinæ autem, ea quæ naturaliter fiunt, adscribit. Optime autem etiam Pindarus dixisse videtur, qui Deum præstantissimum artificem appellat.

CAP. XVIII.

TRanseo autem etiam ad illud, quod in Metaphysicis omnium pessime dixit. Cùm enim esset quæstio, vtrum omnia necessariò fiant, aut fierent aliqua, quæ non fierent necessariò: Et ij quidem, qui necessariò omnia fieri statuerent, duobus proloquijs demonstrare idipsum conentur, inter quæ primum est hoc, quod omne quod fit, ab aliqua causa necesse sit fieri: alterum verò istud, quod omnis causa quæ aliquid facit, idipsum & necessariò & certa finitaq; ratione faciat: ibi sane Aristoteles quum videret, si duo hæc concedantur, sequi infallibiliter, vt omnia quæ fiunt in rerum natura, ea ex necessitate quadā proficiscantur, ne hoc ipsum concederet, alterum contradictionis membrum assumit, quasi satis firmum, & concedit, aliqua eorum quæ fiunt, necessariò fieri, atq; ita ad alterum axioma progreditur, & illud quidem, quod omnis cau-

ſa quidquid illa facit & neceſſariò & certò facit, nõ tollit. Hoc nanque proloquio iam ante abuſus fuit in diſputatione de ſempiterno motu, quem vtiq; manifeſtiſſime ſubuertiſſet, ſi illud hoc loco negaſſet. Deflectit igitur ad alterum, & affirmat, aliqua eorum quæ fiunt, ſine cauſa fieri, tollens hoc modo notionem, quam nullus vnquã vel ſapiens vel plebeius pro incerta ambiguáue habuit, præterquam, vt apparet Ariſtoteles. Atqui etiam ipſe Ariſtoteles ſtatuit, omne quod mouetur, ab alio moueri. Ego uero hoc ipſum axioma, quæcunq; videlicet mouentur, ab alio moueri, propter illud alterum valere magis, quàm ipſum per ſe exiſtimauerim. Cùm enim omne quod mouetur, inde fiat ſiue exiſtat, vnde ipſum mouetur (ſinguli enim motus quodammodo producuntur in eo, quod mouetur) omne autem quod fit, id fiat à cauſa aliqua: ſequetur inde, quod etiam omne quod mouetur, ab aliqua cauſa neceſſe ſit moueri. At ille poſito hoc pro confirmato, aliquarum ſcilicet rerum cauſam eſſe nullam, nihilominus tamen illud adhuc firmum fore opinatur, quod ab aliquo, quæcunq; mouentur, moueri ſit neceſſe. Nec animaduertit, quod ſublata aliquarum rerum quæ fiunt cauſa, etiã opinio quæ habetur de Deo, debilior imbecilliorq; fiat. Manifeſtum eſt enim, quod quidam propter hanc notionem, quæ habet, nihil ſine ſua cauſa fieri, præcipuam & vulgatiſſimam de Deo ſententiam amplectantur. Nam quando videntur aliqua, quæ fiunt in hoc mundo, eaq; manifeſtas non habent cauſas, tum homines, qui omne quod fit, ab aliqua cauſa fieri compertum habent, ad naturæ diuinæ cognitionem feruntur. Oportebat autem demonſtrare, ô Ariſtoteles, qualénam ſit illud, quod ſine cauſa fieret, neq; ita ſimpliciter rem affirmare. At dicet fortaſſe aliquis deliberationem eſſe ex eo genere, id quod ipſe Ariſto-

Aristoteles in libris de interpretatione videtur dicere. Videmus nanq; ait, principium futurorum cùm à deliberatione, tum ab actione ipsa existere. Sed in eo planè errat. Neq; enim deliberatio est principium futurorũ, tametsi aliquando sit causa. Eius autem rei, de qua deliberant homines, ipsa neutiquam principium est deliberatio: quandoquidem huiusce ipsius aliæ apparent priores & antiquiores causæ, ea videlicet quæ nos circumstant negotia. Id quod inde liquidò patet, siquidem nisi nos aliqua circumstẽt negotia, de quibus consultandum videtur, nos nunquam deliberaturi essemus. Sed transeamus, ipsiq; Aristoteli hoc dogma relinquamus. Iam verò sublato hoc axiomate, omnium rerum esse aliquam causam, Aristotelem nihilominus sibiipsi esse contrarium ostendemus. Nihil ille arbitratur ex potentia in actum erumpere, nisi alius quidam antecedat actus, qui latentem occultamq; illam vim siue potentiam ad effectum siue actum impellat, & promoueat. Hoc ipsum axioma in disputatione de sempiterno motu vsurpans, & alterum illud, omnẽ causam necessariò agere, id quod agit, sempiternitatem motus conatur demonstrare. Proinde si quid fiat ex ijs, quæ fiunt, id ipsum ex potentia aliqua in lucem produci necesse erit: in quam porrò nunquam producetur, nisi alius quidam antecedat actus, qui talem mutationem efficiat. Quem vtiq; etiam generationis cuiuscunq; rei authorem & causam constitui oportet. Arq; hoc modo nihil vnquam inuenietur, quod sine causa fieri dici possit. Quibus demonstratis apparet euidentissimè, Aristotelem in eo opere, quod de ijs quę res physicas consequuntur inscribi solet, inter alios multos, quos congessit errores, in hac re turpissimè lapsum esse.

CAP. XIX.

NEq; illud ſapientiæ cuiuſquam habet ſpeciem, quod idem Ariſtoteles in Phyſicis docet, vbi motum non concedit eſſe duplicem & æquiuocum, alium quidem actiuum qui eſt in mouente: alium vero paſſiuum, qui eſt in eo quod mouetur. Atqui, cùm ſint potentię circa motum duplices, vna quidem motiua, quę eſt in eo quod mouebit, alia autem paſſiua, quę eſt in eo quod mouebitur, oportet profecto etiã actum conſtitui duplicem, qui vtriq; potentiæ correſpondeat, motiuæ quidem potentiæ, actiuum motum, alteri autem quæ moueri idonea eſt, paſſiuum. Sed timuit ille, ne hic actiuus motus, motus cum ſit, aliquando non moueatur. At timuit ille, quod minimè timendũ fuiſſet. Quid enim prohibet actiuum illum motum & eum qui mouet, nõ moueri? cùm is qui mouet, quandoq; ſit immobilis. De paſſiuo enim motu palàm, quod ipſius non ſit eadem ratio. At de actiuo illo ne affirmetur, nihil impedit. Ac in his quidem Ariſtotelis ignorantiam detexi-mus, non omnia tamen, ſed maxima & præcipua exponentes, in quibus à Platone & ijs qui Platonem ſequuntur, diſcedit.

CAP. XX.

Diſcrepantia Ariſtotelis & Platonis in ijs, quæ ad formas & ſpecies ſempiternas attinent.

RElinquũ iam eſt, vt de ſpeciebus ſermonem inſtituamus, de quibus maxima ſolet cõtentio moueri. In his vero nõ quidem Platoni cõſentiemus, ſed Ariſtotelẽ

etiam

etiã hac in parte male contradixiſſe, & in aliis quidem ſycophantã agere, in aliis vero non id conficere quod voluit, demõſtrabimus, idq; nobis vitio vertendum nõ erit: ſiquidẽ etiã in prioribus ſunt aliqua, vbi Platoni nõ cõſentientes, nihilominus Ariſtotelẽ ipſum à ſeipſo diſſidere oſtendimus. Ac primum quidem illud reprehenſione non caret, quod manifeſtè veritati repugnat, vbi, poſt Socratem ait, primos extitiſſe, qui ſermonẽ de ſpeciebus in ſcholas philoſophorum introduxerint, Platonem nimirum intelligens. Certum autem eſt etiam Pythagoræos, qui ante Platonem vixerunt, de hac re diſſeruiſſe: ſicut ex eo opere Platonis, quod Timæum Locrum nominat, apparet. Ibi nanque hoc cœlum ille ex intelligibili exemplo deducens, alterius mundi, quem idanicum vocat, imaginem facit. Atq; hoc quidem eſt huiuſmodi. In eo autem quomodo nõ infert iniuriam? Cùm Platonici ſuas illas ſpecies, rebus ſenſui ſubiectis non ſynonymas, ſed æquiuocas eſſe velint, ipſe præter illorum opinionem & voluntatem ſynonymas conatur oſtendere: idq; hoc modo. Ait enim, non eam ob cauſam, quod illę ſunt ſempiternæ, hæ verò corruptioni ſubiectæ, non ambas eſſe ſynonymas: ſiquidem etiã longi temporis albedo, eadem ſit nihilominus & vniuoca albedini vnius diei. Rectè ſanè ô Ariſtoteles, ſi albedini vnius diei, alia quidem, at finitam tamen illa etiam quodammodo habens ſubſiſtentiam, & propterea cum altera comparari idonea, ſit ſynonyma, eodem etiã modo mortale immortali, cui illud nullo modo comparari poteſt, erit ſynonymũ. Et quánam quæſo fronte talem nectis concluſionem? & vnde didiciſti comparabilia cum incomparabilibus conferre, illaque his ſimilia facere, vt ſic deinceps id quod comparabilibus accidit, exiſtimes incomparabilibus item contingere? Enimuero ſi quiſpiam tuas illas leges non audiuiſſet, quas ipſe

in analyticis de ratione demonstrandi tam curiosè præscripsisti, non quidem existimatio mentem obreperet tam frigidè tamq; peruersè teipsum conari hæc demonstrare, de quibus iã differimus. Nos vero scimus certò, ab illis, qui species amplectuntur, species non synonymas sed cognomines siue æquiuocas rebus sensui subiectis & existimari & appellari. Cæterùm ostendemus nullo modo esse cognatas siue synonymas, eiusdemq; prorsus naturæ, ex ijs principijs, quibus illi vtuntur. Intelligibilia nanq; illa, rerũ sensui subiectarum tanquam imaginũ exemplaria faciunt. Imaginem autem quãnã quis ratione exemplari cognatã siue vniuocam esse existimauerit, nisi forte idẽ etiam statuã Lysandri cognatã siue vniuocã Lysandro, & Herculis statuã Herculi synonymã appellet. Verũ enimuero his Aristoteles vtitur rationibus, & sic inquit, Secundũ nanq; rationes, quæ ex » scientijs, species erũt omnium, quorũ scientię sunt, secun » dũ vero vnũ in multis, & negationũ. At secundũ quod » intelligitur qppiã, eo corrupto, etiã corruptibiliũ. Hęc quidẽ obscurè quodãmodo dicta sunt ab Aristotele. Oportet itaq; nos prius explicare illa, quę ab ijs dicuntur, qui species constituunt, atq; sic deinceps Aristotelis mẽtẽ planam facere. Illi itaq; formarũ siue specierum authores patroniq; aiunt: quòd si rationes rerũ sensibus subiectarum ita animo concipiantur, vt illas animus scientia contineat, tum rationes illæ accuratius se habent, perfectiusq; in seipsis cõsistunt, quàm in rebus se habẽt, quæ sensu percipiũtur. Perfectius itaq; illud atq; accuratius non à rebus sensui subiectis obtundebit animus, quod quidem non est in ipsis, neq; rursus id quod alibi nusquã existat, animus ex seipso concipiet. Neq; enim solet animus id quod nusquã est, aliqua ex parte concipere: si quidem mendaces opiniones tum concipiuntur, quando non ea quidem, quæ non sunt sed

ea

C. Imago Prisnos parentum simile gignat sim.

Sntia Platon. 3 tit.

ἀὶ Προκλος

ea quæ sunt aliá alijs non rectè coniunguntur. Hinc igitur sequi aiunt, vt ab alia quadam adhuc præstantiore & perfectiore natura, perfectius illud earum rationum, quæ in rebus sensui subiectis sunt, animus adipiscatur. Iam aduersus hæc Aristoteles inquit, si secũdum rationes, quæ ex scientijs, vtpote ex ijs, quæ sunt perfectiores, quàm eæ quæ sunt in rebus sensui subiectis, oportet esse species siue formas, tum erunt etiam formæ omnium rerum, quæcunque scientia continentur. At secundum quod intelligitur quippiam, quod iam interierit, si modo animus id quod non exiſtit non concipiat, intelligatúe, erunt etiam singulorum corruptibilium propriæ formæ. Quod sequitur in verbis Aristotelis, vbi dicit, secundum vero vnum in multis, & negationum, hunc habet sensum. Aiunt qui Idæas defendunt, non posse fieri, vt multis vnum & idem quippiam habentibus, illud idem sua sponte & temere contingat. Neque enim posse fieri, vt aliqua aut semper, aut vt plurimum fortuito quodam casu eundem seruent ordinem. Oportet itaque singulis per se & non per accidens vnum atque idem quippiam commune obtinentibus, vnum quippiam eximium atque selectum præesse, quod multis illud vnum atque idem impertiat. Aduersus hęc Aristoteles, & secũdum vnum, inquit, in multis, & negationum. Quippe si secundum id, quòd vnum quippiam insit exempli gratia multis hominibus, humanitas videlicet, oportet vnum quippiam eximium constituere, quod illis hanc humanitatem impertiat, oportebit etiam vnum quippiam esse, quod omnibus non hominibus, rationem eam, qua non sunt homines, largiatur. Etenim etiam illi vnũ quippiam habent cõmune, vt sint non homines, quem admodum illi qui sunt homines humanitatem cõmunem obtinent. Hactenus itaq; Aristoteles. Nos vero operæprecium nos facturos arbitramur, si prius quam.

Digitized by Google

quales Idea Plat. & mos idaicus: & mens mdi fabric.

ad ipsius rationes respondeamus, explanemus primũ, qualésnam & cuiusmodi esse suas species siue formas existiment illi, qui ipsas constituunt, quibus expositis tandẽ Aristotelicis opportunè occurremus rationibus. Hac nanque ratione apertissimè conuincemus illum in quibusdã quidem calumniatum esse, in quibusdã vero non id conficere, quod optabat. Illi itaque qui ideas defendũt, aiunt deum illum Opt. M. qui summa quadam excellentiq́ue bonitate est præditus, immediatum non esse huiusce cœli opificem, sed prius alterius cuiusdam naturæ atque essentiæ, quæ & cum ipso maiorẽ habeat cognationem, & quum sit sempiterna, semper eadem, similiq́; ratione se habeat. Eundem itaq; illum deum non per seipsum, sed per illam iam productam siue essentiam siue naturam huiusce cœli fuisse fabricatorẽ: atque illam quidem essentiam in vnum intelligibilem mundum coagmentant, quẽ Locrus ille Timæus idanicum appellat, ac si dicat, specialem, vel exemplarem, qui nimirum ex omnibus, ñsq; multifariñs sit constructus speciebus, quas etiam mentes vocant. Toti vero huic intelligibili mundo vnam quandam perfectissimã præficiunt mentem, cui post illum omnis boni authorem atq; fontem deum, secundas in gubernatione imperioq́; vniuersi partes ascribunt. Hanc porro mentem illo per seipsum intelligibili speciali mundo vsam, hoc nostris cõspicuum oculis cœlum, mundumq́; sensibus subiectum fabricatum esse. Esse itaq; hunc sensibus patentem mundum illius intelligibilis simulachrum atq; imaginem, nihilq́; ex ñs, quæ caussis suis indigent, tam in toto quàm in partibus existere, quod non ab illo altero ortum trahat: caussis vero indigere, quæcunq; existant in rebus, quæq; fiant: at priuationes & frustrationes, & quidquid deniq; ad id quod nusquam est, recidit, nullam omnino caussam postulare, imò potius defectu

mos idaicus: ex multis spab. gñrans.

mdi ppes Dei vicar. mens h. mdi fabric.

priuom, frustrom, accntium, nulla cã.

caussæ

cauſſæ cuncta eiuſmodi cõtingere: neq; item negationes. Nam quod cauſſa contrariæ affirmationis deſit, ex eo vno oritur negatio. Neque etiam, quæ per accidens hic contingunt, eorum vllam prorſus illic cauſam haberi. Siquidẽ eiuſmodi plurium cauſſarum concurſu hic eueniant, quarum vnaquæq; illuc ſit referenda: atque illic nihil eſſe prorſus, quod ſit cauſa rerum contingentium. Sed nec infinitarum rerum priuatas ſingulasq; illic inueniri cauſſas: eorum nanq; omnium, quæ hic ad infinitatem quandam recidunt, vnicam illic eſſe ſpeciẽ, quæ cauſſæ rationem obtinet: quandoquidem ea, quæ illic ſunt, infinitatis eius, quæ ad quantitatem refertur, omnino ſint expertia, imò etiam ſummus ille deus, qui omni eſſentia ac natura ſuperior eſt ac ſublimior, ab omni prorſus multitudine abhorreat, nempe qui vnus ſit exquiſitiſſime. Huic vero intelligibili mũdo ſiue *apparatui* ſuam quidem iam ineſſe multitudinem, ſed finitam tamen, & quæ nullo modo infinita poſſit appellari, ſiue potentia, ſiue actu. Id quod in conſpicuo, ſenſibusq; ſubiecto hoc mundo aliter ſe habet, qui infinitatem iam quãdam, quatenus illam complecti poteſt, innatam habet propter materiam, cui propria quadã ratione infinitas quædam adhæret, quam ipſam materia quidem non aliunde quàm illinc traxit, ſed illic tamen infinita non exiſtit, neq; enim etiam rerum irrationalium, quæ hic habentur, ſpecies illic irrationalis habetur, vel rerũ hic mobilium, ſpecies illic mobilis: quamuis eſſentiarum, quæ ita hic appellantur, & eorum quæ eſſentijs per ſe adhærent, & habitudinum, illic ſint & ſpecies & exemplaria. Habitudinum quidem, propterea, quod illa quoque, quæ illic habentur nullam non habeant inter ſe habitudinem atque conuenientiam: Earum igitur quæ illic ſunt, habitudinum, has alteras, quæ hic ſunt, oportet eſſe imagines atque ſimulachra. Illo-

rum vero quæ per se essentijs adhærent eam ob causſam, propterea quod non sine suis adiunctis atque attributis ea quoque quæ illic sunt intelligantur. Nam in illo vno, quod & omnem excedit essentiam & vnum est exquisitissima ratione, neque essentiam, neque attributum, neque actum, neque potentiam discerni. In formis autem atque mentibus illis, de quibus sermonem facimus, quæ illi summo non sunt pares, attributa quidem ab essentia distingui, potentiam vero ab actu nequaquam. Sed in his quæ hic habentur naturis cuncta illa à se inuicem seperari, atque ad illam superiorem, hanc quoq; proximam, quæ fuit in mentibus, distinctionem accedere. Vt iam hoc pacto, quæ illic sunt, medio quodam modo se habeant, inter illud summum atque supernaturale vnum, & hæc quæ hic apparent sensibus patentia. Iam igitur quales & cuiusmodi esse species siue formas, ij existiment, qui eas constituunt, exposuimus summatim, & quàm fieri potuit breuissime. Nunc restat vt ijs occurramus obiectionibus, quibus Platonicos oppugnat Aristoteles. Secundum nanque rationes, inquit, quæ ex scientijs, species erunt omnium, quorum scientiæ sunt. Siue scientiæ sint eorum, quæ semper sunt per seipsa, siue rursus sint eorum, quæ per seipsa alijs adhærent, minimè sanè verebuntur ij qui species constituunt affirmare, quin horum omnium non sint species, non tamen similiter omnium: sed eorum quidem, quæ hic in species finitas diuiduntur, singulas esse in singulis generibus species, eorum vero, quæ ad infinitatem quandam iam recidunt, vnam duntaxat in omnibus infinitis. Quàm primum enim, exempli gratia, omni qui hic est, numero propter infinitatem, vnam quæ illic est formam præficiunt, quæ & sit vnica, & singillatim comprehendat omnia, quæcunque numero, qui hic

refut. obi. Arist.

num. forma unica

hic est, distinctim & per se contingunt. Eadē quoque est ratio eorum, quæ circa nostras magnitudines dimensionesque accidunt, vt illic forma magnitudinis sit vnica eaque indiuidua. Ab illis porro formis animum nostrum illuminatum numeros mathematicos & magnitudines mathematicas explicatius intelligere, quæ sint vmbræ quædam & simulachra intelligibilium, illaque ab his ita repræsentari, vt ab his quæ in aquis sunt simulachra atque vmbræ rerum sensui perceptibilium, ipsa referuntur sensibilia. Ita quoque, quæ ab hominibus manu possunt confici, ea dicunt in forma hominis illic singillatim comprehendi, vnde opifices animo alia alios concipere, & singulorum instrumentorum species prius intellectu ipso in seipsis informare, deinde rebus ipsis, quæ sensu percipiuntur, manum accommodare. De ijs autem, quæ per accidens cueniunt, si etiam sit scientia quæpiam, quandoquidem eiusmodi plurium caussarum concursu accidunt, quarum rursus vnaquæque illuc refertur, animum nostrum illinc etiam accepto lumine eiusmodi scientiam adipisci. Hæc itaque respondent ad ea, quæ Aristoteles obijcit de varijs scientiarum rationibus.

Ad illud autem quod inquit, (secundum vero vnum in « multis & negationum,) nihil necessarium concludi re- « spondebunt. Illam nanque hominis speciem, quæ illic existit, quibuscunque ea seipsam impertiuerit, illis nimirum caussam fore, vt sint homines: quibuscunque autem seipsam non impertiuerit, ea omnia in diuerso genere relinqui, vt nimirum non sint homines. Denique ad illud, quod ait, Ac secundum quod intel- » ligitur quippiam, eo corrupto etiam corruptibilium: » respondebunt, vnam illam speciem, quæ omnibus corruptibilibus in vna eademque idea præest, non minus sufficere ad vnum quoduis prius non existens,

nunc demum in lucem producendum, quàm etiã corrupto quouis eorũ, quæ quotidie dissolutioni sunt obnoxia, ad renouãdam in animis aliquid de ipso cogitantium, eiusdem imaginem. Hæc itaque ij, qui species constituunt, eiusmodi argumentis, quibus Aristoteles ipsos oppugnat, respondebunt, persoluentque, in quibus nihil nõ conueniens, nihil non suæ ipsorum doctrinæ consentaneum proferent. Sed iam ad ea, quæ sunt digna memoratu, deinceps transeamus. Præterea accidit, vt non binarius sit primus, sed numerus. Atqui, inquient, quid prohibeat, quo minus numerus, qui illic est, tum sit singularis tum ipso binario prior existat? binarius autem sit primus nostri huius numeri, qui dilatari potest? Ait item, si species per accidens non participentur, essentiarum duntaxat erunt species. Ita quidem, respondebunt illi, si omnia aut essent essentiæ, aut per accidens essentijs adhærerent, tum vero locum aliquem fortasse haberet id quod profers. Nunc autem cùm in rebus existant aliqua, quæ etiam per se essentijs inhærent, quanti demum momenti erit tua illa ratio? Tametsi enim eorum, quæ per accidens eueniunt, vnumquodque ijs quibus proximè continetur, non adsit per se, non tamen ab ijs, quæ per se existunt, est prorsus diuersum: siquidem eiusmodi omnia plurium causarum concursu eueniant: quarum vna quæque per se facit, quidquid facit: neque vero talia, quæ ex huiusmodi causis procedunt ab illo quod fit per se, omnino discrepant, nec item si qua per accidens eueniunt, cum ijs quæ per se fiunt, penitus nullam habent communitatem, sed illa his ipsis continentur, atque inuicem quadam affinitate iunguntur. Quod si enim dum ludi Olympici instarent, Sol defecerit, non sanè propterea quod illi instarent, Sol defecit, nec item quod Sol defecerit, Olympiorum tempus instabat, vt

eor q̃ per accns.

hæc

hac quidem ratione sol non per se eo ipso defecerit tempore, quo adessent Olympia. Sed tamen causæ illæ propter quas sol defecit, per se defectum effecerunt, & lex siue institutum vetus de celebrandis Olympijs per se tales ludos ordinauit. Quod autem vno eodemq; tempore & Olympici ludi & defectus solis cõtigerint, eius rei causa extitit æqualitas siue cõmensio ambitus reditusq; amborum inter se: & huius rursus æqualitatis alia fuit causa, siue aliæ, quarum vnaquæq; per se id quod ad se attinet effecerit. Hinc itaq; apparet ô Aristoteles, te violentam facere cõclusionem dum affirmas, omnia aut essentias facere, aut per accidens essentijs attributa, & illa rursus, quę sunt per accidens ab ijs quę sunt per se, penitus abrumpis. Præterea inquis, si eadem « fit species & idearum & rerum, quibus illę sunt partici- « patę, erit sane quæpiam inter ipsa communitas. Sin au- « tem non eadem sit species, erunt certè æquiuoca, nec « iam aliquam inter se habebunt cõmunitatem. Sed re- « spondebunt Platonici neq; exemplar siue imaginem indigere altera quapiam specie communi, neq; si sint æquiuoca, sicut reuera sunt, nullam idcirco ipsorum esse communitatem: aut certè interrogabunt, cur nam ô Aristoteles, entia iudicas esse æquiuoca, & nulla tamen sentis inter se cõmunicatione sociari? Nec inquies fortasse, te hoc nullibi dixisse. Id quod possis propter odium quod erga nos concepisti dissimulare, quod nimirum æquiuoca in quibusdam non communicent inter se; in quibusdam verò communicent. Nam neq; Lysandri statua cum ipso Lysandro nullam porsus habet communitatẽ, neq; imago cum suo ipsius exemplari. At, inquis, præterea, quidnam opis adferunt species aut « rebus sempiternis, quæ sensui sunt subiectæ, aut alijs « quibuscunq; quæ & generantur & intereũt? neq; enim « efficiunt, vt illæ vel moueantur, vel mutentur. Hic se- «

f. 3.

lam prodit Aristoteles, manifestumq; facit, quam ob causam bellum aduersus ideas mouerit. Ille nanq; nec sentit nec vult, inesse quampiam rebus sempiternis causam eius quod sint atq; existant, præter id quod mouetur, eamq; nimirum ob causam cum Platonicis præliatur. Alioquin quid sibi vellet, dum inquit, Quidnam opis adferunt species aut rebus sempiternis, quæ sensui sunt subiectæ, aut alijs quibuscunq;, quæ & generantur & intereunt? neq; enim efficiunt, vt illæ vel moueantur, vel mutentur? aut certe, quod ille ad generationem & corruptionem rerum similem habentium speciem in ijs quæ generant & ipso sole, sufficientes, satisq; idoneas existimet causas constitui, at res sempiternas sensibus subiectas moueri quidem non sentiat propter species, nec ad essentiam & productionem alicuius rei alia quapiam esse opus causa, idcirco inquit, quidnam opis adferunt ipsis species? Sed dicet fortasse quispiam, quod existimet Aristoteles Deo soli, qui sit antiquissimus, hanc conuenire causam. Ad hoc respondemus de alio quidem quopiam hoc ipsum cogitari posse, sed minime de Aristotele, cui mhil tale in mentem venit. Et cur nam istud? Ille nanq; sibi ipsi contrarius foret, si hoc diceret. Interrogabo enim ab illis, qui hoc affingunt ipsi, cur non ille huic ipsi Deo summo antiquissimoq; omnes omnium cœlestium orbium motus assignauerit, sed alium singillatim alij motori? aut certe liquet, ipsum dignitatis cuiusdam gratia, plures sempiternis illis essentijs cum sint plures, præfeciſſe propagatores, atq; fateri ipsos aliquam omnino illarum esse causam? Aut certe quod imagines putauerit propagatrices sui ipsarum: neque enim id omnino esset inconsentaneum, cùm habuerint illæ sua exemplaria. Atque hoc quidem modo etiam ille sententiæ Platonicæ de ideis subscribere videretur, & nostræ

parti

Digitized by Google

parti accedere. Nunc autem certò constat, ipsum non sentire aliquam esse illarum causam deductricem, sed & hoc modo illas, & tales, quales sunt, à seipsis propagatas moueri tantum ad finem aliquem, & ipsum Deum. At enim, inquit, neq; ad scientiam aliarum rerum quicquam prosunt? neq; enim ipsæ sunt essentia illarum: essent enim in illis ipsis, neq; easdem, vt sint, quicquam iuuant, siquidem in ijs non sunt, quibus seipsas participant. Quis igitur de imagine melius iudicabit? nónne is qui etiam exemplar habet cognitum? neq; enim is qui exemplar non cognouit eodem planè modo perspectam atq; notam habebit imaginem, quo alter, qui ipsum cognouit: quomodo autem alijs ad hoc vt sint, non prosit quippiam, vt etiamsi in illis ipsis non sit, sed causa tamen sit illorum? Præterea inquit, non solum rerum sensibilium exemplaria sunt species, sed etiam suijpsarum, sicut genus earum specierum, quæ rursus locum obtinent generis. Ita quidem, si vni eidemque diceretur contingere, vt vnius eiusdemq; esset & imago & exemplar, tum certè absurdum hoc esset, & minimè rationi consentaneum, tanquam si vnum idemque dicatur esse vna eademque re simul & maius & minus: nunc autem quid prohibet vnum idemque alterius esse imaginem, alterius verò exemplar? an non statuæ cuiuspiam, quæ ipsa quoq; imago est, aliam item imaginem pictor efficiet? & nónne eiusdem statuæ in aqua simulachrū aliquod reddetur? Atq; hæc quidem impostura Aristotelis est huiusmodi. Transeamus verò ad aliam ipsius rationē. Præterea inquit, Etiamsi sint species, nō tamen fiunt ea quæ fiunt, nisi sit aliquid, quod moueat. Et multa fiunt alia, vt domus & annulus, quorum esse species negant, vt ita sit perspicuum, licere etiam illa, quorum es-

» ſe dicunt ideas,& eſſe & fieri talibus de cauſis,de quali-
» bus ea quæ nunc dicta ſunt, non autem propter ipſas
» ſpecies. Sed ne iſta quidem ĩj qui ſpecies conſtituunt,
concedent ſine ſuis exemplaribus fieri, etiamſi per ſe
non conſiſtunt. Fiunt enim per illa, quæ in animis ſin-
gulorum opificum antea ſunt concepta, exemplaria.
Oportet autem,dicent,etiam ea,quæ natura fiunt non
ſolum non deterioris cauſæ vſu miniſterioq̃;,quàm ar-
tificioſa iſthæc fieri, ſed ne æqualis quidem: imò po-
tius,quæ ſunt præſtantiſſima melioris etiam cauſæ vſu
confici conſentaneum. Sed dicet forſitan Ariſtoteles,
in mente ſolis etiam iſtorum,quæ naſcuntur,exempla-
ria contineri,nec vllis præterea indigere exemplaribus,
quæ per ſeipſa cõſiſtant. Conſtat enim ab Ariſtotele ſo
lem generationis eorum quæ fiunt, cauſam conſtitui.
Ii igitur, qui ſpecies conſtituunt aduerſus iſta hoc di-
cent,Ita quidem, ſi videremus,ô Ariſtoteles,hæc artifi-
cioſa à ſuis artificibus eodem modo fieri,quo illa natu
ralia à ſole gignuntur,tum ſanè tuis verbis fidem habe
remus: nunc autem videmus artificioſa iſthæc, quam-
diu præſentes habent artifices,ab ĩjſdemq̃; manu attin-
guntur, tantiſper proficere,& ad perfectionem abſolu-
tionemq̃; ſuam tendere: quòd ſi forte inchoata,dimi-
diaq̃; ſaltem ex parte abſoluta,relinquantur ab artifici-
bus,non iam amplius quidquam promoueri,tanquam
artificibus non manus ſolùm, ſed etiam exemplaria
ipſa ſecum auferentibus. Eorum autem quæ à natura
fiunt, pleraq; videmus etiam recedente ſole nihilomi-
nus perfici,& ad abſolutionem ſuam progredi,id quod
maximè in ĩjs & arborum & frugum generibus appa-
ret, quæ cito abſoluuntur. Ea nanq; non minus noctu
quàm interdiu videmus incrementum accipere atq;
perfici. Illam itaque ſolis mentem huius perfectionis,
quæ tali fit tempore, non poſſe cauſam conſtitui: neq;
enim

Digitized by Google

ẽnim etiam participantes illas mentes ſine ſuis quæ ſibi coniuncta habent, corporibus quidquam efficere poſſe in reliqua corpora. Cunctis enim corporibus & ſitu aliquo & figura opus eſſe, ad ea quæ ſunt paſſura aliquid: horum autem nihil Soli ad illa naturalia tali tẽpore adeſſe. Atq; ſic res eiuſmodi quæ naturaliter fiunt atq; à ſole penitus non abſoluuntur, nec à ſeipſis quidem perficiuntur. Nullam enim potentiam in actum procedere, niſi ab altero quopiam actu vi quadam protrudatur: neq; rurſus id quod ſola vi latente ſiue potentia abſolutum eſt, id etiam reipſa abſolutum euadere, niſi ab altero quopiam, quod ſit reipſa perfectius, promoueatur. His de cauſis nos, inquiẽt, actum illum, quo talia tunc ſolent perfici, ſpeciebus illis atq; exemplaribus attribuimus. Et has à rebus ſenſibilibus ſeparatas ſpecies bifariã diſtinguentes, tum in eas quæ per ſe ad efficienda opera ſunt idoneę, tum in alias, quæ idipſum non poſſunt ſimiliter: priores illas harum rerum ſempiternarũ quæ ſenſui ſubiectæ ſunt cauſas & exemplaria conſtituimus: haſce vero poſteriores, rerum quæ hic ſunt corruptibilium, ipſius quidem ſolis ope auxilioq; indigentes, qui ipſis materiã admoueat: vbi verò materiam à ſole acceperint, ipſas quoq; per ſe vim exercentes in illam. Neq; vero nouum philoſophiæ genus inducimus, inquient, neq; nouas cauſas, vt tu dicis, ſcrutamur, ſed cauſarum potius plenum abſolutumq; numerum rebus quæ ſunt attribuimus, quem tu imperfectũ diminutumq; reddis. Cum enim tu item cauſas in quatuor genera diuidas, triũ quidem opera etiam ipſe vti videris, tum finalis, tum eius quæ initiũ mouendi præbet, tum materialis, formalis autẽ quæ reliqua eſt, nuſquam omnino. Nam ſi cuiuslibet rei ſenſui ſubiectæ ſpeciem ſiue formam, eiuſmodi eſſe cauſam dixeris, illa ſanè manifeſtiſſimè non eſt cauſa, ſed alterius cuiu-

Digitized by Google

ſpiam cauſæ effectus ſiue opus. Nos quidem dicent, finem ipſum, quod eſt omnium cauſarum præſtantiſſimum genus, non motuum ſolum, ſed etiam eſſentiarum & omniũ quæcunq; ſunt, ſummo illi rerum præſidi atq; regi Deo attribuimus. Species autem illas ſiue formas, rerum quæ ſunt exemplaria conſtituimus. at cauſam illam, quæ mouendi initium præbet, animæ illi quæ huic cœlo præfecta eſt: materialem deniq;, materiæ ex qua vniuerſum hoc conſtat cœlum, aſſignamus: atq; ſic rebus quæ ſunt plena reddimus genera cauſſarum. Talia itaq; dicent ij, qui ſpecies conſtituunt occurrentes obiectionibus Ariſtotelicis, vbi ſane à ſuis ipſorum principijs non diſcrepant quidquam, Ariſtotelem autem conuincunt partim calumnijs vti, partim non id conficere quod vellet, tum maximè ipſum in multis ignorantiam ſuam prodere. Et quánam tandem ratione reprehenſionem ignorantiæ effugiet Ariſtoteles in rebus maximis & multis alijs, quæ iam recitauimus, & cumprimis, quod ſempiternis eſſentijs ſiue naturis nullum autorem ſiue propagatorem aſſignet, neq; illas ex omnibus cuiquam, quod ſint, acceptum ferre velit? id quod Plato non fecit, neq; illi qui Platonem ſequuntur, qui nimirum, principem illum omniumq; regem Deum rebus quæ ſunt præficientes, hunc ipſum omnium aliorum, quæ poſſunt aliquid generare patrem & procreatorem: omnium quæcunq; conſilio certo quippiam efficiant, conditorem atq; effectorem conſtituũt, nihilq; plane eorum, quæ ſunt, non ad illum referunt. Illud quoq; ſilentio prærermittere non poſſum, Platonem in ſcriptis ſuis fateri ſe quoſdam ex veteribus ſecutum, quibuſdam verò non aſſentiri. At Ariſtoteles licet omnibus promiſcuè cõtradicat, omneſq; reprehendat, nullum tamen vnquam nominat, cuius ſe inſtitutione eruditum fateatur, ex quo apparet ipſum ſe omnium

quæ

quæ ſcripſit inuentorem voluiſſe videri, id quod plane eſt ſophiſticum & alienum à moribus veri philoſophi: quò etiam illud pertinet, quod in fine logicorum gloriatur ſuum eſſe totum opus de methodo dialectica: & addit, illius methodi non hæc quidem pars erat exploratа, illa vero non erat, ſed nulla prorſus erat. At conſtat Archytam ante ipſum logicam artem contexuiſſe, cuius præceptis ipſe Ariſtoteles vſus fuit, quin etiam Plato partim principia diſciplinarum logicarum tradidit, partim etiam ijs ipſis non ſine arte in ſuis ſcriptis eſt vſus, & artem logicam vocat tanquam exploratam ſed nondum exploratam, neq; tamen tanquam prorſus nõ inuentam, ſed iam omnino in vſu verſantem. Quid igitur dicat quiſpiam? nõ eſſe dignos Ariſtotelis libros qui legantur? etiam omnino, propter vtilia, quæ in ijs ipſis continentur: modo ſimus memores multos eſſe ijſdem errores permixtos.

Arist. falsò gloriari se Log. inuentorem &c. l. Rami Annot.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM IN HOC libello.

Præfatio, in qua disseritur de comparatione Platonis & Aristotelis, secundum iudiciũ veterum & recentiorũ.

Non possum autem hic non commemorare quædam, quæ de vita, moribusq; Aristotelis prodiderunt quidam antiqui & celeberrimi scriptores: quo euidentius appareat non omnes huius philosophi assumptiones pro veris semper amplectendas, ideoq; à Gemisto non temere confutari. Nam quò melior vir quis putatur, hoc similiora vero videntur quæ sentit.

Theodoretus Cyrensis Episcopus libro contra Gentiles Græcos duodecimo ita scribit.

Aristoteles Peripateticus ait, Lyconem Peripateticũ testari, morẽ eum fuisse Aristoteli, vt oleum venderet, quo calido se prius perunxisset. Cumq; is olim in Chalcidem nauigasset, publicanos explorato eius nauigio inuenisse ollas eius olei quatuor & septuaginta, vel vt alij referunt trecentas.

oleum Arist. vendidit ridi.

Idem libro quinto.

Aristoteles autem Platoni adhuc viuenti manifestè aduersarium se præbuit contra Academiam bello suscepto: neq; doctrinæ illi honorem vllum rependit, quam liberalissimè olim percepit: neq; celeberrimi viri gloriam est reueritus: neq; Platonicæ eloquentiæ vim pertimuit, sed impudenter illi aduersariũ se gessit, cùm tamen nequaquam meliorum dogmatũ, sed multò peiorum quam Plato, ipse auctor extiterit. Nam cum ille animam dixerit immortalem, hic esse mortalem dixit: cumq; ille dixerit, Deum res omnes prouidentiæ curæ complexum esse, hic quantum possunt eius rationes terrarum orbem diuinæ prouidentiæ exsortem facit.

Subscri-

Digitized by Google

Subscribit Theodoreto Laurentius Valla prologo in dialecticam suam.

Quæ compilat, *(inquit)* nõ illis refert accepta, à quibus sumpsit, sed sibi vendicat, & vbicunq; eosdem peccasse opinatur, citius ardentem flammam ore continere posset, quàm non nominare.

Primum caput. Quid Plato de deo & rerũ omnium creatione, quid Aristoteles senserit. Quo in loco etiam explicatur, quomodo Plato animam genitam & ingenitam appellauerit.

Secundum. Reprehenditur Aristoteles, quod deum summum omnium præsidem ac regem vnum ad mouẽda omnia idoneum non censeat, verùm illi socias mouendi alias quasdam mentes adiungat.

Tertium. Vnúmne sit genus omnium earum rerum quæ sunt, id est an ens sit tale quippiam, quod decem prima genera vniuocè non aquiuocè complectatur.

Quartum. Vtrum Aristoteles genera & species rectè secundas: individua vero primas, substantias appellauerit, hoc est, an genera & species minus sint quàm singularia & secundo loco ad essentiæ rationem pertineant, an contra.

Quintum. Vtrum vniuersum rationem obtineat materiæ, forma autem pars, id est, an ad materiam spectet vniuersum potius quàm pars.

Sextum. Sensúne antiquius sit id, quod sensu ipso percipi potest, quod vocant sensibile, an simul vtrunq; natura. Quo in loco relatiuorum natura simul declaratur.

Septimum. Indefinitæ propositionis natura atq; proprietas declaratur, & quæritur verúmne sit quod docetur apud Peripateticos, eandem illam veram tam affirmantem quàm negantem inueniri pòsse.

Octauum. Num necessaria conclusio sequatur ex duabus præmissis, quarum altera sit necessaria, altera simplex, an ve-

Digitized by Google

ro ſimplex duntaxat. Vbi ſimul natura medij termini & proloquiorum ſiue præmiſſarum examinatur.

Nonum. Diſcrimen dei, mentium ſiue intelligentiarũ & animæ declaratur: & τὸ ὑπερέχον quidem eſſe ſimpliciter vnum, hoc eſt, in ſupremo deo & eſſe & poſſe & efficere, ſiue magis placet, eſſentiam, potentiam, & actum nullo modo diſtincta haberi, hoc eſt vt alias ſit, alias poſsit, alias afficiat, ſed vt ſimul & ſit & poſsit & efficiat. Vnde poſtea reprehenditur Ariſtoteles, qui animam definiuerit eſſe actum, de qua re libet etiam Iacobi Ziegleri viri docti cẽſuram adſcribere, qui ſic ſcribit, quodam in loco. Sed quam ſectatur rogo (intelligens Ariſtotelem) demonſtrationum neceſſitatẽ, qui à ſcriptis ſuis ſicut libitum eſt diſcedit. Aut definiens animã, demonſtratione vſus eſt? Anima (inquit) eſt actus corporis organici phyſici, vitam habentis in potentia. Ergo alius ſecutus exemplum definiat, Auriga eſt actor curriculi motum habentis in potentia. Num ille quæ ad ſubſtantiam hominis attinebant, dico genus & differentiam eſſentialem, à quibus deſumi definitionẽ oportebat, attigit?

Decimum. Platonicum dogma defenditur, quo docetur animas è cœlo deſcendentes hauriendo obliuionem rerum diuinarum, quarum in cœlo erant conſcia, alias vero magis, alias minus, in terris non diſcere ſed reminiſci, quod illic ante cognouerint.

Vndecimum. Anima ſitne immortalis apud Ariſtotelem, & num aliqua bona poſt mortem conſtituenda ſint.

Duodecimum. Num virtutes qualitate vel quantitate ſint metiendæ & an mediocritates dicendæ, vt contendit Ariſtoteles.

Decimumtertium. Quod ſit ſummum bonum & an Ariſtoteles recte ſummam felicitatem in voluptate contemplatiua collocauerit.

Decimumquartum. Cœlum eſſe ignea natura & dari nõ oportere

Digitized by Google

oportere quintum quoddã corpus prater elementa quatuor.

Decimumquintum. De immobilitate siderum & quàm rectè Aristoteles corpora cælestia animata constituat.

Decimumsextum. Num cælestia corpora vi & natura ignea calefaciant hac inferiora, an motu duntaxat.

Decimumseptimum. Vtrum ars & natura deliberent, dum aliquid agunt.

Decimumoctauum. Vtrum quæ fiunt omnia, fiant necessario, an & aliqua contingenter, & vtrum dandum sit aliquid in ijs quæ fiunt, quod non habeat causſam sui esse. Tale vero tractat toto capite argumentum Gemistus, quod si quis in conspectu habeat, rem perspicuè intelliget.

Omne quod fit ab aliqua causſa, necesse est fieri. Sed omnis causſa, quæ aliquid facit, idipsum & necessario & certo facit. Ergo omnia fiunt necessario. Minorem concedit quidem Aristoteles, sed maiorem limitat, vnde à Gemisto reprehenditur.

Decimumnonum. Motum in rebus naturalibus esse æquiuocum, & vnum agendo, alterum patiendo fieri.

Vigesimum. De ideis, sint ne ideæ, tum quid sint, & cuiusmodi, & quibus rationibus illas Platonici aduersus Aristotelem aduersarium suum defendant.

Hunc breuem capitum indicem ad finem libelli adijcere maluimus, quàm vacuas pagellas lectori obtrudere. Nostram igitur voluntatem ut candidus lector candido animo suscipiat, nec sinistre interpretetur, rogamus.

FINIS.

ERRATVM.

Prima col. E. uersu 2. pro pietatem, lege impietatem.

Digitized by Google



Digitized by Google